



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1613

De honore fratrum. Cap. 25.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

ligiosa ferunt, te accommodabis, eos comiter allo-
quens, rebus licitis & honestis à te postulatis liben-
ter acquiesces, & nihil in te aut rusticum aut inurban-
num, aut durum, aut quod iure eos offendat, repe-
rient. Vita religiosa, vita sanctissima est, pariter &
iucundissima, atque ex ea parte qua sanctitatem
amat, honestatem vitæ, & morum querit, ex ea verò
qua iucunditatem habet, ab omni vitio insuauitatis
& rusticitatis abhorret. Memento igitur illius verbi,
Ecclesiastici, qui alio loco ait: Verbum dulce mul-
tiplicat amicos, & mitigat inimicos; & lingua eucha-
ris in bono homine abundat. Itaque loquaris, ita
inter alios conuerseris, vt omnes te diligant, & tuum
consortium non refugiant.

Ecclesi. 6.5.

De honore fratrum.

CAPVT XXV.

HONORE inuicem præuenientes,]
inquit Paulus: fratres ergo tuos hon-
ore præueni, & reuerentia prosequere. Hominis superbi est, signa honoris
ab aliis expectare, & illos ad honorem
deferendum paratos non magis præuenire. Humili-
tatem tuam in honorando alios, & non in honorem
aucupando, monstrabis. Prælatos vt prælatos hono-
re afficias, æquales vt æquales, minores vt minores, &
nullus ad te sine honore appropinquabit, aut à te si-
ne honore transibit. Quin & Deum in omnibus habi-
tantem honorabis, & non vt honoreris, sed vt illi
placeas, & vt suas imagines veneratione prosequaris,
fratribus signa honoris exhibebis.

De defectibus fratrum ferendis.

CAPVT XXVI.

RECIPTVM etiam est Pauli: Alter alte-
rius onera portate, & sic adimplebitis le-
gem Christi.] Maiora autem onera nostra
sunt nostri defectus, quibus aliis nonnunquam
quasi in tolerabiles reddimur. Defectus igitur,
& agrestes mores aliquorum fratrum ferendi sunt,
vt legem charitatis impleamus. Atque ideo tu, ò re-
ligiole, tuorum fratrum defectus patienter sustine, &
quod in eis aut exemplo, aut oratione aut lenissimo
verbo (si prudentia dictauerit esse dicendum) emen-
dare non poteris, Deo emendandum corrigen-
dumque committe. Sat scio te multos in tua con-
uersatione defectus videre, quos vis omnino ab aliis
patienter supportari. Idem itaque tu facias necesse
est, ne velis, diuerso pondere ac diuersa mensura,
(quod abominabile est) tua atque aliena metiri. Sus-
tine vt sustenteris, dissimula aliorum leues defectus,
vt tui magni dissimulentur; tace, vt tua: miseria taceantur.
Absurdum namque est cupere ab omnibus
sustineri, & neclenicalas aliorum culpas velle por-
tare.

De ope fratribus exhibenda.

CAPVT XXVII.

Ac vt fratribus tuis sis utilis, eosque pro
amore Dei tua industria & viribus adiuues.
Iuua orationibus, pro illis diuinam misericor-

Adiam implorans, iuua Sanctis desideriis fructum la-
borum ipsorum siue corporalium, siue spiritualium,
apud Dominum cupiens; iuua sermonibus cum id
prudencia dictauerit, attenta personarum qualitate
ad fructuosè laborandum exhortans: iuua tandem
operibus, te ipsum sedulo occupans, & omne otium
fugiens, & exemplo non ad oriandum, sed ad labo-
randum impellens. Cum id disciplina religiosa tulerit,
& munus tibi demandatum possibilitatem non
negauerit, eis, in officiis humilibus laborantibus,
libenter associa, manus ad aliquid eorum quæ agun-
tur, admoue, te illa ministeria non horrere, neque
vt serulia contemnere, ipsa actione testare. Magnæ
ædificationis est in cœnobio, cum seniores & lire-
rati, immò & prælati ipsi interdum ad humilia seruitia
se dimittunt. Sic enim minores libentius illis serui-
tiis intendunt, iucundius seruiunt, & manifestè vi-
dent se non contemni ab his, qui in spiritu humili-
tatis dignum iudicant minores actione iuare. Nul-
la igitur ratione ab his te ministeriis excuses, sed si
vnus ex minoribus es, & ex adolescentioribus, mi-
nora non respicias, si verò maior es, aliquando Chri-
stum sequens, pro bono exemplo minora suscipias.

B

De circumspectione in conuictu fratrum.

CAPVT XXVIII.

CVAMVIS inter bonos degas, oportet vt
circumspectè te geras, & licet omnes iuxta
Domini præceptum, diligas, necesse est, si
vis proficere, vt non omnes ad familiaritatem ad-
mittas. Si qui inter bonos sunt mali, aut certè discoli,
imperfecti, detractores, tepidi, & libertatis amato-
res, tu eos non aliter quam pestes fugies. Qui teti-
gerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communica-
uerit superbo, induet superbiam,] & qui imperfectis
& discolis sociatus fuerit, multas imperfectiones nõ
effugiet. Si qui verò fuerint seruidi atque perfecti,
hos sectare, horum familiaritatem exquire, vt eorum
exemplo & communicatione proficias. Qui enim
timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam, quo-
niam secundum illum erit amicus illius.] Prudenter
ergo tibi fugiendi sunt imperfecti, & sectandi perfe-
cti, ne familiarium vitiiis læderis, & imperfectioni-
bus eorum polluaris. Cum nullo quantumvis bono
nimiam familiaritatem in eas, quæ sine dubio tempus
infumit, cor distrahit, & alios scientes offendit, sed
debita moderatione semper condita sit amicitia tua.

Ecclesi. 13. 1.

Ecclesi. 6. 17.

D

De amore secreti, & commoratione in cella.

CAPVT XXIX.

EANDEM septem alia circa te ipsum in-
tentè custodies. Fuge publicum quantum
vocationis & status tui qualitas tulerit,
ama secretum, esto assiduus habitator, & diligens
custos celle tue, quam habitationem, atque custo-
diam, mille consolationibus, & mille bonorum ope-
rum fructibus tibi persoluet. Egrederere libenter ab
ea cum obedientia iusserit; lætè, cum charitas ex-
egerit; æquanimiter, cum necessitas postulauerit. Si
verò nihil horum trium te corpore à cella seiuixerit,
tu corpore & mente in ea manebis, & ibi rebus vri-
libus occupaberis. Ora, psalle, lege, scribe, & aliquid